

4456

OBSERVATIONES  
DE  
CALCVLIS RENALIBVS

Q V A S  
INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

A. D. XX NOVEMBR. CIOIOCCCLXXII

PRO GRADV DOCTORIS

DISCEPTANDAS PROPONIT

M. IOANNES DANIEL REICHEL

L I P S I E N S I S  
MEDICINAE BACCALAVREVS

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

Pathol. spec.  
28, 10.

*Mbispes 2115*







VIRO MAGNIFICO  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
CHRISTIANO GOTTLIEB  
LVDWIG

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI  
CELEBERRIMO THERAPIAE PROFESSORI PVBLICO  
ORDINARIO FACVLTATIS MEDICAE DECANO PERPETVO  
ACADEMIAE LIPSIENSIS DECEMVIRO ET SENIORI  
COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM ET BEATAE MARIAE  
VIRGINIS COLLEGAE ACADEMIAE REGIAE BORVSSICAE  
SCIENTIARVM SOCIETATIS BOTANICAE FLORENTINAE  
ET OECONOMICAE LIPSIENSIS SOCIO NEC NON  
TEYTONICAE LIPSIENSIS SOCIETATIS  
SENIORI

JOHANNES DANIEL REICHERT



HANC DISSERTATIONEM

DEVOTAMENTE

OFFERT

OBSERVANTISSIMVS CVLTOR  
IOANNES DANIEL REICHEL





Quemadmodum omnes profecto res creatae, a suo inde ortu ad interitum usque, in triplici naturae regno, partim necessariam atque vtilem, partim minus necessariam et inutilem, saltem, uti nobis videtur, continuo subeunt mutationem, quae incremento earum vel decremento, sanitati aut morbo, et vitae et morti seruit: ita praecipue in animalibus, naturali aequae ac praeternaturali modo, multae quotidie cernuntur mutationes, quae eorum sanitatem et morbum, vitam ac mortem continent. Naturalium quidem mutationum, quae fiunt in corpore animali, nullam hic nos habere posse rationem, e re, quam tractabimus, patebit: sed, quoniam nonnulla exempla praeternaturalium mutationum, in corpore humano non raro obuenientium, enarrare apud nos constituimus,





videmur quoque illarum consideratione non prorsus hic superfedere posse.

Mutantur nimirum in corpore animali alio atque alio modo, eoque tamen semper praeternaturali, molles eius partes in duras, durae in molles. Haec mutatio appellatur emollitio, illa induratio, quae, quoniam ossificationis speciem habet, praeternaturalis ossificatio posset nuncupari. Emollitionem, cum ad nostrum propositum non spectet, non ulterius persequamur, sed potius indurationem attendamus. Variis nominibus autem, si eueniat in corpore animali, vt molles, flexiles, meabilesque partes reddantur durae, inflexiles atque immeabiles, hanc ipsam rem insigni-  
verunt, quorum sunt praecipua concretio, ossificatio, petrefactio. Obseruarunt enim varias excrescentias diuersae duritiei, magnitudinis, figurae, fabricae atque indolis, vt verrucas, clauos, callos, exostoses, nodos ac tophos podagricorum, dentiumque tartarum: renum rursus petrefactorum, arteriarum ossescentium, retentarum secundinarum, quid quod fetuum petrefactorum, aliarumque concretionum calculosarum et morbosarum in corpore humano mentionem fecerunt medici.

Videntur autem mihi omnes hae mutationes cum ossificatione similitudinem habere. Quamquam enim varia spectatur harum rerum concretarum durities; tamen ea, subinde facta, ossium duritiei non plane absimilis in conspectum venit, etiamsi similitudo haec non tam perspicue hic vbique appareat, quam e. gr. in arteriis ossescentibus, vbi inter tunicas densas materia calcarea in squamas osseas cogitur; seu in eo osse, quod nuperrime vidimus, pro loci istius, in quo natum erat, fabrica non admodum paruo, quod ossium propemodum spongiosorum fabricam referebat, et ab Experientissimo GREDING, medico nosodochii





dochii Waldhemensis, qui in cerebello cadaveris alicuius reperit, propediem accurate, uti V. Cl. solet, describetur ac delineabitur. Varias iam collegit idem vir doctus huiusmodi concretiones, ut officulum feminis cannabis magnitudine, mesenterio accretum extus, easque in melancholico maniacorum et epilepticorum, in ptochotropheo Waldhemensi demortuorum, sectionibus, aduersariis medico practicis <sup>a)</sup> insertis, descripsit.

Sed potius ad eam rem, quam hic volumus, progrediamur, et calculorum, a nobis per libelli huius academici occasionem tractandorum, rationem reddamus. Pertinent calculi ad lapides, qui, vel in terrae gremio latent, ut saxum, vel in aquis absconditi sunt, ut tophus, vel in aere expositi, ut stalactites, vel in ignis calore durant, ut pumex, vel in ipsis lapidibus, ut aetites, aut vegetabilibus, ut tartarus, aut animalibus, ut calculus, oriuntur, formantur atque fiunt.

Verum versemur in iis considerandis, qui in animalibus sensim concrefcunt, et proprie calculi nominantur, ad lapidum tamen genus pertinent; quorum duo constituuntur genera: vnum continetur naturalibus, alterum praeternaturalibus spectatur. Ad hos pertinent ii calculi, qui animalium interna loca, atque omnes profecto corporis animalis cavitates occupant, nec in bobus tantum, equis, suibus, canibus, et id genus aliis, sed etiam in ipso corpore humano; illis adnumeranda sunt animalia testacea, quae lapidea sibi formant

a) Quae Lipsiae 8. prodeunt v. Vol. III. Part. I. p. 108. vbi illud officulum descriptum inuenies, ut in aliis eiusdem tractationis locis alia exempla talium concretionum, aliorum Auctorum obseruationibus illustrata.





formant domicilia, vt conchae, cochleae, coralia, auium oua, vt reliqua mittamus <sup>b)</sup>. Praemissa itaque hac communi lapidum consideratione, praeteritis reliquis speciebus, in sola calculi humani natura quaerenda versetur, antequam exempla, a nobis obseruata et collecta, hancque ipsam rem illustrantia, proponamus.

Cum calculi in toto humano corpore vbique reperiantur, quamquam non omnibus hominibus hoc malum accidit, eorumque tanta deprehendatur diuersitas, vt marmoreae, lateritiae, tophaceae, gypseae, arenariae aliusque etiam indolis sint, primum corpus humanum, ad calculos formandos aptum, contemplemur: dein in calculorum diuersitatis originem inquiramus.

Ac illa corporis humani ratio, quae spectatur in laxitate solidorum atque spissitudine fluidorum, quae vel tardius fluunt, vel in quibusdam canalibus et cavitatibus prorsus stagnant, vel rebus peregrinis, interdum in corpus humanum aliter atque aliter translatis, ac tum nucleum calculi sistentibus, circumuoluuntur atque apponuntur, ad calculos formandos ac fouendos prae ceteris idonea nobis videtur. Haec duo in concretionem calculosam concurrere, ex genesi eiusdem patebit. Calculus enim profecto subinde ita componitur in corpore humano, vt humores effusi, particulae exsiccatae, veluti grumulus sanguinis, quaedam item terrae portio, ex humorum mixtione secedens, seu alia res, extrinsecus in corpus immissa <sup>c)</sup>, stagnando et quiescendo, nucleum

b) v. diss. de genesi calculi Praeside CAROLO LINNAEO Resp. Io. Otto Hagstroem Vpsal. 1749. 4, quae inserta est amoenitatum academicarum Linnaeanarum Vol. II. no. XXIII. p. 155.

c) v. IO. ZACH. PLATNERI instit. chirurg. ration. Lips. 1745. 8. p. 933 seqq.





cleum calculi efficiant, qui ab humoribus, spissitudine laborantibus, ideoque lente praeterfluentibus, et praeterea ad quiescendum pronis, circumdatur, circumuoluitur, ambituque paulatim ita augetur, vt calculosa inde enascatur concretio, cuius saepe inexplicabilis diuersitas medicos in summam admirationem trahit.

Cuius in causas si inquiramus, hanc diuersitatem proficisci intelligimus, partim a sexus et aetatis <sup>d)</sup> ratione, partim

d) Magnificus LUDWIG saepius in infantum recens natorum lintheaminibus sabulosam rubram materiam reperit, qui, aetate prouectiore, de nullis calculosis incommodis conquesti sunt. Praeterea nobis ipsis notum est exemplum viri, iam ab omnibus calculorum molestiis immunis, qui in puerili aetate, sine haereditario malo, a septimo aetatis anno usque ad decimum quintum, dolores lumbares continuos propemodum, saepe etiam colicam nephriticam passus est, sabulosam materiam, ac tres subinde calculos, tritici duo grana fere magnitudine aequantes, per vrinae vias reiecit. Quorum calculorum vnus vrethram cum intrauisset, eique firmiter inhaesisset, chirurgico auxilio denegato, tussiendo eius exitus promouendus erat. Animaduertebat enim puer, inter tussendum calculum subinde progredi, quo facto tandem tussis toties excitata, quoties dolores permittebant, penitus elusus est. Inflammatio inde, huc illuc in vrethra orta, dolores quidem satis atroces efficiebat; attamen intra sex dies et hi cessabant. Quamquam autem omnino non multa medicamenta, praeter species pro infuso theiformi, quibus coralia admixta erant, ac diaetam accuratiorem, quam, vti meminit, parentes diligenter curabant, ad hunc morbum compescendum sunt propinata; tamen a decimo quinto aetatis anno usque ad quadagesimum, et quod excurrit, nulla vestigia calculosa, nec in lumbis, nec in vrina ipsa animaduertit, planeque se ab hoc morbo fuisse liberatum ad hodiernum diem gaudet. Caeterum causas, quae huic malo in puerili aetate ansam dederunt, nescit.

B





tim a corporis humani partibus, calculos fountibus, earumque fabrica, figura, nexu, situ ac usu, nec non ab earum humoribus, qui vel praeparantur ibi ac fecernuntur, vel colliguntur aut praeterfluunt. A quibus locis rursus eorumque fluidis, quae capiunt, varia calculi figura, superficies et cortex, nec minus color, durities et mollities, grauitas et leuitas, fluctuatio atque adhaesio, numerus, ac omnino varia calculi indoles pendent.

Ad causas calculi, quarum magna apud Auctores, dum varias excogitarunt hypotheses inanes, est diuersitas, e) et quae haud raro aliorum morborum ortui ac progressui seruiunt, non leuibus stipatorum symptomatibus, si accedamus, easque paulo accuratius persequamur, apparebit, abusum vel neglectum sex rerum non naturalium huc pertinere: rursus rebus peregrinis in corpus illatis, posse calculo occasionem praebere, corpusque, postquam eae causae solidis laxitatem et debilitatem induxerint, et fluidis spissitudinem atque immeabilitatem contraxerint, ad calculum generandum praedisponi. In utroque enim proximam causam, quae corpus ad calculos procreandos disponit, cerni, ex superioribus, ubi genesin calculi expendebamus, intelligitur.

Praeter varia itaque inde profecta symptomata, quae pro locorum diuersitate, ubi calculus moratur, pro neruorum directione atque itinere, quos ille turbat, nec non pro figura calculi atque eius superficie, a quibus irritationis ac dolorum magnitudo pendet, insignem produnt differentiam, maximam nobis in hac nostra disputatione iam promereri videntur attentionem ea potissimum, de quibus vrinarios calculos habentes aegri conqueruntur, praesertim cum omnium

e) vid. IO. OOSTERDYK SCHACHT instit. med. pract. ed. II. Trai. ad Rhen. 1767. 4. p. 237.





omnium omnino calculorum humanorum symptomata colligere, nec huiusmodi libelli breuitas ferat, nec propositi nostri ordo postulet. Huc vero referuntur dolores et tensiones in lumbis aequae, ac in dorso eiusque spina, nec non per totum abdomen diffusae; imprimis vero in lumbis, secundum renum situm vreterumque tractum, per totam vrethram interdum ita continuatae, vt ii aegri priapismo, glandis pruritu, qui imprimis quidem pueros adficit, nec non testibus, sursum tractis, valde vexentur; quae omnia ex nervis plexus renalis, et potissimum eius nexu cum reliquis, ad testiculos et crura deriuatis, pendent; vnde quoque et reliquorum neruorum, pari vago et intercostali nexorum, tensiones et spasmos inducunt. Porro variae molestae sensationes occurrunt in hypogastrio, ad collum vesicae vrinariae, perinaeo, et cum mittitur lotium, quod tum album, aquosum, interdum et mucosum, sabulosum, sanguinolentum, purulentum, nec non alio atque alio modo mixtum excernitur, interdum prorsus impeditur. Rursus percipitur femoris obtusus dolor seu stupor, accedente non raro nausea, vomitu, singultu, ac id genus aliis.


Neque vero haec omnia symptomata sufficiunt, cum etiam ab inflammatione, spasmo et omnino obstructionibus viscerum, infimum ventrem occupantium, proficisci queant: nam omnia haec symptomata saepius in ore hypochondriacorum versantur. Ad signa igitur, quae calculum, haec symptomata efficientem, adesse indicent, accedendum est, eaque sunt eruenda. Atque haec rursus incerta fore quilibet praeuidebit, qui mecum consentiet, ex incertis symptomatibus, aliisque morbis pariter ac calculoso communibus, non posse elici certa atque indubitata signa. <sup>f)</sup>

B 2

Optima

f) Quapropter GEORGIUS BAGLIVIVS dolorem fixum  
in





Optima autem, et quae videntur certiora signa calculorum renalium, inprimis hic a nobis considerandorum, inter multa alia sunt, si manu tangentis in regione lumbari percipi possunt, licet raro, si dolor ibi fixus sit, vel sine febre ac inflammatione, vel cum ea coniunctus, si denique excretiones urinae aliter atque aliter mixtae sint. His vero et multis aliis calculi renalis signis, interdum non animaduersis, occurrunt in aegris acerbissimi dolores in scrobiculo cordis, qui calculi renalis praesentiam produnt, vti B. MORGAGNIUS obseruauit, ac nos quoque exemplo quodam non multo post declarabimus.


Ex his ergo, quae haecenus disputauimus, apparet, calculum humanum esse concretum in variis corporis humani partibus atque cauis, plus minusue durum, varia figura, superficie atque cortice praeditum, ex terra et mucodiuersimode conflatum, accedente olei et salis modica portione. Etsi vero in bilis et urinae viis praecipuae causae calculi formandi sese exserunt, <sup>g)</sup> tamen exempla calculorum in pectore et capite, inprimis horum viis mucosis, non desunt, quae vidimus in calculorum collectione Ludwigiana: etiam in aegro quodam, asthma humido laborante, et multam viscidicopiam exspuente, obseruamus adhuc saepe huic viscido veras immixtas concreciones calculosas, tartareae et tophaceae quoque indolis, magnitudine, figura, superficie et duritiae varias.

Iam

in regione renis, et vomitum continuum iudicat praecipua signa doloris renalis a calculo, caeteraque dubia, aliisque ventris doloribus communia censet. v. EIVSD. opera med. pract. et anatomic. Lugdun. 1710. 4. p. 117.

g) v. G. I. B. V. SWIETEN comm. in HERMANN. BOERHAAVE aphor. de cognosc. et curand. morbis. Tom. III. p. 87. L. B. 1753. 4.





Iam vero ad calculos renales, quorum obseruandorum in primis nobis data est opportuna occasio, nos accingamus ac tria hic exempla colligamus.

## OBSERVATIO PRIMA

DE


### CALCVLIS RENALIBVS IN PVERO.

**P**uer nouem annorum, antea, quantum per eius educationem licebat, satis callidus, iam vero stupidus, qui ex aliquot annis incontinentia vrinae laborauerat, in nosodochium Lipsiense deferebatur. Aegro disquisito, atque, quantum fieri poterat ob eius stupiditatem, examinato, nec non eius vesica vrinaria ope catheteris explorata, calculus, minime cedens catheteri, detegebatur. Qui, etsi facili negotio in vesicam quidem penetrabat ac calculum petebat, nullo tamen modo, etiamsi aliter atque aliter tentabatur, conuerti poterat. Renum ergo labem et calculos esse incontinentiae illius causas, adparebat: inprimis cum pressione, ex duobus hypochondriis ad regionem lumbarem, ibi, vbi ren deprehenditur, admissa, liberrime promanaret vrina. Accuratius in aegri sensationes non poterat inquiri ob eius summam stupiditatem, quae tanta erat, vt non modo quid sentiret, qualesque haberet molestias, non proderet; sed etiam plane nihil appeteret, atque loqueretur, quid? quod, si ei nullus cibus offerebatur, per duos dies nihil prorsus ederet. Multis itaque remediis, quae indicationi satis esse videbantur, ab Experientissimo atque Excellentissimo BOSIO, qui praestit huic nosodochio, et cui multa debemus, frustra tentatis atque adhibitis, sed ne cum minimo quidem leuamine, corpus ita

B 3

tan-





tandem emaciabatur ac debilitabatur, vt puer rebus humanis eximeretur.

Seçto igitur cadauere, in visceribus vropaeis cernebatur id, quod, viuo adhuc aegro, solummodo suspicati eramus. Excidebantur hanc ob caussam renes cum vreteribus, vesica vrinaria ac vrethra, vt eo melius atque diligentius hae partes possent perspici. Quibus excisis, tota interna peluis superficies quodammodo dura reperiabatur.

Renibus examinatis, dexter pariter ac sinister insignem, pro aegri aetate, prae se ferebant magnitudinem, colore magis nigrescente praediti. Sinistri renis durities atque inaequalitas maior erat dextro, nec non in eius superficie posteriore, ac quidem in tunica adiposa versus inferiorem eiusdem partem, foraminulum, a calculo perforatum, insimulque calculorum strepitus tactu et auditu deprehendebantur. Ren dexter erat longitudine quinque pollicum, sinister vero quatuor. Hic tres pollices, ille tres et dimidium pollicem inueniebatur latus.

Rene sinistro discisso, nullius substantiae renalis apparebant vestigia, sed aliqua puris copia emanabat. Quo euacuato, et cavitare spongia depurata, totus margo exterior quatuordecim loculamentis diuersae magnitudinis, (nonnulla tamen vnus pollicis longitudinem referebant) calculos paruos ac fabulosam materiam in se continentibus, cinctus erat, ac quodlibet loculamentum paruis plicis hos calculos ac fabulosam materiam circumdabat. Rursus in pelui huius sinistri renis calculus maior, vnum pollicem cum quarta parte longus, liber haerebat. Sed maior alius calculus, vnum et dimidium pollicem longus, ita erat valide accretus ibi, vbi foraminulum, non diu ante descriptum, deprehendimus, vt ne fortiter quidem trahendo abrumpi posset.

Rene





Rene dextro aperto, omnis omnino renalis substantia conspiciebatur inflammata, magnaue puris, quod emanabat, quantitate excepta, nihil quidem calculosi ibi occurrebat, attamen quinque, vti in sinistro, loculamentorum vestigia oculis quaerentium se offerebant.


Vreteres, potissimum sinister, iusto ampliores sabulosa materia scatebant. Caeterum nihil notatu dignum probebant.

Vesica autem vrinaria parua erat, constricta, tactu callosa, prementi non facile cedens ob corpus peregrinum, quod resistebat. Erat duos et quartam pollicis partem longa, et secundum longitudinem diuisa, interne apparebat crassa et callosa. Huius fibris accretus erat in fundo vesicae, super insertionem vreterum, calculus triangularis, seu ex tribus compositus, asperam superficiem atque inaequalem offerens, angulos obtusos habens, et indolis calcareae, qui propriam sibi fecit cavitatem in vesica, circumeirca callosa reddita, in- simulque ea materiam sabulosam praeterea continebat.

---

OBSER-





## OBSERVATIO SECUNDA

DE

### CALCVLO RENALI IN VIRO QVADRAGINTA ET QVINQVE ANNORVM.

**E**xente sexagesimo secundo huius seculi anno vir bene nutritus, ac, dum mercaturae negotia curabat, et idcirco saepe itinera instituebat, his ipsis laboribus satis roboratus, incipiebat de membrorum insigni lassitudine conqueri. Quam cum ex primis viis ortam putaret, apozemate ex rhabarbaro, foliis fennae; fluedine corticum aurantium ac sale mirabile GLAUBERI, quo consueuerat, utebatur; attamen sine fructu. Quapropter nos adiit, qui, rebus aegri perpensis, ei solutionem extractorum amarorum praescribamus, cuius usum sequebatur lenta febris cum tanta virium prostratione, vt ne per conclaue quidem ambulare posset, nec quidquam esculenti appeteret. Incipiente quidem februario 1763, hisque symptomatibus cessantibus, res aegri in melius vergere videbantur; post festum tamen paschatos eiusdem anni aeger dolorem in hypochondrio sinistro, rheumatismi doloribus non absimilem, percipiebat, ac, cum ille pro rheumatico haberetur, frictio cum calidis linteis adhibebatur, qua etiam dolor emolliebatur, et tandem penitus euanescebat.

Nihilominus autem in regione lumbari, ibi, vbi tandem vulnus apparebat, remanebat parua eminentia, excretioni cutaneae similis, quae quidem cataplasmatibus tentata, nec discussionem nec suppurationem spondebat, sed quotidie, sine vilo doloris sensu, maior reddita, circa Michaelis festum 1763 ad tantam aucta est magnitudinem, vt, etiamsi vestibus recta, tamen, si aeger paululum corpus flecteret, satis clare nudis

nudis






nudis oculis posset conspici, adeoque per vestes ipsas emi-  
neret.

Circa initium octobris eiusdem anni subinde hic tu-  
mor mollior ac ruber apparebat, deque suppuratione hic  
molienda cogitabatur. Aeger vero ob negotia, ab ipso  
necessario curanda, rogabat, vt haec curatio paullulum dif-  
ferretur. Interea tumor ipse noctu ruptus est, improuiso at-  
que incio aegro ipso, qui, matutino tempore appropin-  
quante, cum magnopere de chirurgico auxilio timuisset, lae-  
tus hoc naturae conamen animaduertebat, ac iam eo plane  
superfedere se posse arbitrabatur. Nos vero, qui de hac re  
non pariter gaudebamus, ac aeger, tardissimam, quid?  
quod nullam sanationem praedicebamus, nisi dilataretur vul-  
nus. Id quod aegri laetitiam in magnam mutabat tri-  
stitiam.

Sed iter ab aegro necessario instituendum hanc ipsam  
vulneris dilatationem per quatuordecim et vltra dies differe-  
bat. Qua tandem, eo reduce, facta, calculus paruus pisi  
magnitudine deprehendebatur, qui sponte excidebat. Ni-  
hilominus tamen vulnus contrahebatur, sed suppuratio co-  
piosa continuabat, ac festo natiuitatis Christi 1763. appropin-  
quante eodem morbo, quo superiore anno, vt supra nar-  
rauimus, incepit aeger laborare, excepta illa insigni corpo-  
ris debilitate, quae iam non adeo magna erat.

Impedimentis itaque ac caussis huius retardationis in  
hoc vulnere sanando disquisitis, ac morborum accidentium,  
nec non symptomatum variorum habita ratione, facile in-  
telligebatur, inesse oportere aliquid vulneri, quod impedi-  
ret eius sanationem. Quapropter cogitabatur de dilatatione  
vulneris praestanda, quae et suscipiebatur non multo ante  
festum paschatos 1764. a Cl. HEBENSTREITIO, chirurgo  
perito, multos sinus atque callositates inter dilatandum de-  
C regente.





regente. Hanc operationem tum sequebantur nonnullis diebus post intolerabiles propemodum dolores ischiadici, tanta profecto vehementia, ut per multas noctes aeger dormire non posset. Interea quidem dilatatum vulnus externe magnopere ad coalitum properabat, sed remanebant multi sinus cum callositatibus, quorum nonnulli usque ad renem progrediebantur, qui vulneris penitus sanandi spem faciebant inanem, nec non chirurgiam, denuo in auxilium vocandam, periculosam quidem, minus autem vtilem reddebant.

Per aestatem itaque 1764. vulnus solummodo puluillis ficcis obtegebatur, absque vlla eius mutatione, usque ad festum Michaelis eiusdem anni, ubi paruulus calculus iterum apparebat, qui videbatur superius notati calculi cortex esse. Ac iam vulnere rursus disquisito, attingebat Cl. *HEBENSTREIT* corpus ita durum, ut circumstantes sonum audire possent. Accuratus itaque in naturam atque indolem huius duri corporis inquirebatur, et anatomicae considerationis ratione habita, non poteramus non illud pro calculo ac quidem maiore, quam illi duo erant, quorum iam antea inieimus mentionem, habere.

Quae cum ita essent, de ampliando vulnere cogitabatur, ad exitum huius calculi promouendum cum facilitate, atque, incisione vera denegata, incongruum ad amplianda vulnera remedium, turundae, in auxilium vocabantur. Quibus quidem per duos propemodum menses frustra adhibitis non solum, sed suppuratione etiam ita aucta, ut aeger summopere debilitaretur, turundae seponebantur, atque vulnus per tres annos a chirurgo, uti fonticulus, tractabatur, sine pisco tamen, aliisque eiusmodi auxiliis, ad fonticulum servandum chirurgice solemnibus. Quamquam interea varia incommoda, eaque interdum valde molesta, aegrum saepe  
tenta-





tentabant, quorum plurima pars, effluxu materiei purulentae largiori e vulnere reddito, euanescebant, ac molestiam creare desinebant; tamen aeger, qui propter sua negotia itinera suscipere cogebatur, ea sine multis magnisque incommodis plerumque ipse facere potuit.

Exeunte autem 1768. anno, cum rursus iter meditaretur, ab aestu ac horrore febrili aeger inuadebatur, qui leuiiores quidem erant, magnis tamen ac huc vsque insolitis doloribus comitati in vulnere, quibus etiam impediabatur, quo minus ei lateri, in quo vulnus erat, incumbere, ac omnino iter propositum suscipere posset. Non multo post iuxta vulnus abscessus formabatur, quo inciso, ideoque vulnere ampliato, proximo die in conspectum veniebat calculus, qui linteis carptis circumdatus, altero die post paruo forcipe ac facili negotio eximebatur.

Calculus ille, vti ex adiecta figura III. patet, lata basi erat, ac coniformis propemodum forma; duroque corpori insistebat, politaque eius superficies calculum alium intus haerere ostendebat, qui, specillo etiam detegebatur, sed adeo alte, vt nullo moueri posset modo, quod ex figura calculi, post mortem exsecti, luculenter apparebit. Atque hos duos calculos articulatione quasi inter se coniunctos fuisse, non diu post demonstrabimus.

Quamquam iam vero vulnus ampliatum, et rursus corpus peregrinum remotum erat, sinuumque ac callositatum, supra memoratarum, magis ratio haberi poterat; tamen vulnus nullam omnino consolidationem pollicebatur, sed eius suppuratione mox aucta, mox imminuta, doloribusque interdum incrementibus, interdum decrementibus, vulnus quidem ambitu minore esse incipiebat, non penitus tamen claudebatur, omninoque fonticuli ad instar ea erat indole, vt





aeger negotiis par esset, cum itineribus, vti ex superioribus elucet; coniunctis.

Medio autem martio 1770. ex itinere, pariter commerciorum causa instituto, redux aeger rursus per aliquot dies de variis vitae incommodis conquerebatur, quae vt effectus catarrhales aeris frigidi et humidi considerari potuissent, nisi, vti ex superioribus intelligi potest, iam aliquoties talia symptomata catarrhalia initium morbi, cum vlcere renum coniuncti, fecissent. Finiente eodem mense, accedebant tensiones abdominales, quae magnas aegro creabant molestias. Cum vero vlceris effluxus non cohibitus esset, nec vlla ceterum in eo animaduerneretur mutatio, contentae in primis viis saburrae hoc symptoma adscribebatur, ideoque solutione rhabarbari, in spiritu MINDERERI propinata, alvus aliquoties, et cum aliquo etiam tensionum harum leuamine, subducebatur. Quo facto, cum appetitus deletus continuam virium prostrationem induceret, lenia carminatiua cum cardiacis praescribebantur; qua medendi ratione tensiones quoque non solum mitigabantur magis magisque, sed appetitus prostratio etiam quodammodo euanescebat: somno, qui huc vsque non placidus fuerat, interea tranquillo ac sano accedente.

Sed primo die aprilis eiusdem anni pariter post somnum tranquillum, quo et vires aegri quodammodo recuperatae erant, modico atque salubri cibo sumto, post meridiem anxius et asthmaticus aeger spasms abdominalibus rursus vexabatur. Ob quam rem cum languor potius, quam febris obseruaretur, mixtura cum liquore cornu cerui succinato ad spasmos sedandos exhibita est. Crebriores vero de nocte deiectiones aluinae erant, nec foeces, vti solent, comparatae, sed albida, vlcerosa et cum vrina remixta materia excernebatur, viribus, post accessum magnae praecordio-





cordiorum anxietatis, subito fractis. His succedebant aliquae deiectiones per diem, viribus magis magisque ita prostratis, vt nullo plane analeptico remedio possent refocillari, tensionibus abdominalibus continuatis. Urina porro parca, turbida ac subalbida erat. Rebus itaque sic se habentibus, atque magis magisque in peius vergentibus, ille etiam post noctem haud tranquillam die tertio aprilis 1770. hora decima antemeridiana vitam cum morte commutabat.

Suspicabamur quidem ex erosione vlcis renalis, colon finistri lateris laesum esse, cum vero tensiones abdominales praecipue in intestinis tenuibus, ac potissimum quidem circa vmbilicum, ab aegro perciperentur, sectione cadaueris hanc rem potius illustrari posse intelligebamus, quae etiam a sanguineis concessa est.

Nutritionem in hoc aegro, durante morbo, non prorsus imminutam fuisse, pinguedo subcutanea abdominis atque omenti declarabat. Viscerum abdominis omnium iustus situs et integritas deprehendebantur. In intestinis tenuibus quidem aequae, ac in crassis color obscurior erat, quodammodo subcinereus, canalis intestinalis tamen nullis flatibus distentus inueniebatur.

Reclinatis visceribus a sinistro ad dextrum latus, colon liberum nec scybalis refertum deprehendebatur; sed ieiuni flexibus attente disquisitis, alterum flexum post eius descensum per mesocoli ambitum lateralem firmiter adhaerere vlcis renali, quod latus finistrum occupauerat, cognouimus. Haec adhaesio ita se habebat, vt processus tubulo similis ex ieiuno in renem sese insinuaret, circumcirca quidem liber, adeo tamen arcte reni coniunctus, vt facili negotio haud remoueri posset.





His ita comparatis, luculenter apparebat, deiectiones aluinas vltimas vrinoso purulentas, alba calculosaque materia remixtas, ex nexu coli cum vlcere renis explicari haud posse. Exiguus enim nexus, intercedente breui tubulo, longitudine pollicis vnus cum dimidio et paulo maiore, ex vlcere renum, cum crassitiem pennae columbinae vix aequaret, functione forte potius, quam infiltrationem, ad intestinorum canalem duxisse hanc materiam videtur. Ac cum vesicula fellea sine calculis esset, nec bile destituta, tincta erat liquida materia intestinalis, et cum materia vlceris colorem intestinorum subcinereum referebat.

Quod ad substantiam renum in hoc cadauere attinet, de sinistro (dexter enim sanitatem vbique prodebat) haec habeto. Pinguedo tota callosa erat, tantaque praedita duritie, vt scalpello resisteret. Proxime ad renem mesocoli membrana densata erat, in nexu autem cum toto laxior pinguedineque magis repleta. Ren sinister porro in substantia corticali et tubulosa prorsus destructus, non nisi peluim, vlceribus hinc inde in ea apparentibus, ostendebat. Rursus membrana peluis crassa etiam atque callosa in conspectum veniebat, in cuius variis cavitatibus nidulabantur calculi molles, fragiles, cinerei et albi, calcareae indolis, variae magnitudinis ac figurae. Ac vnus quidem calculus, isque omnium maximus, versus inferiora collocatus, is erat, qui cum calculo, post incisionem lenissime extracto, atque a nobis supra commemorato<sup>h)</sup>, facta vtriusque articulatione quasi, coniunctus fuerat. Id quod ex figura V. addita luculentius elucebit. Praeterea via vreteris maxime angusta erat, atque in quibusdam locis coalita.

In hoc rene igitur nulla vrinae secretionem facta, nihil quoque per vreterem in vesicam descendere potuit. Vrina enim

h) v. h. d. p. 19.





enim in aegroto pariter ac sano huius viri statu nihil quidquam mucosi vel calculosi sedimenti prodebat, nisi in ultimo morbo perparum; quod omnis vrina solummodo in rene dextro secreta per eius vreterem in vesicam deferebatur.

Ex ulcere in sinistro latere, ibi externe naturae conamine facto, vbi interne ren suum locum habebat, quod interdum satis copiosam materiam emittebat, interdum per vnum alterumque diem parciolem ac moderatiorem, nullam prorsus vrinam effluxisse, mirati sumus viuo adhuc aegro. Secto autem cadauere ac viscere hoc prorsus destructo, nullam fieri potuisse secretionem facile intelleximus. Quod si vero aliquid aquosi secretum fuerit, suctione protinus hoc in intestina deriuari debuit. Hoc autem factum esse, ex crebris tensionibus tenuium intestinorum, et vltimis diebus morbi ex diarrhoea oborta, patet.

Ex hac morbi historia apparet, ad saepius agitatam a chirurgis quaestionem: num renes in lumbis incidi, et peregrina corpora educi queant, seu nephrotomia institui? quam multi suadent, nec pauci negant<sup>i)</sup>, difficillime posse responderi.

i) v. *Mém. de l'academie roy. d. chirurg. Tom. III. à Paris 1757. 4. p. 238.* Hic inuenies disquisitionem historicam atque criticam de nephrotomia seu sectione renum, a Cl. HEVIN explicatam, ac his actis insertam, a quo etiam dubitatur, num vnquam nephrotomia sit instituta. Contra eum disputat Cl. FLVRANT in *mélanges de chirurgie par M. CLAUDE POVTEAV 1760. 8. mai. p. 456.* qui illa cum felicissimo euentu in puero decem annorum se vsum esse narrat: infimulque de hac ipsa operatione, quatenus institui queat ac debeat, varia addit. GEORGIUS HEVERMANN in continuato opere, quod inscriptum est; *Vermischte Bemerkungen und Untersuchungen der ausübenden Arzneywissenschaft, Erster*





deri. Nos vero arbitramur cum Magnifico LVDWIG, cui, ut permulta debemus, sic et hanc obseruationem, cuius opportunitas sub eius moderamine nobis contigit, nullum nephrotomiam habere locum, nisi tum, cum abscessus, ad lumbos natus, isque eleuatus, locum incisionis accuratius definit. Sed et in his curationibus censet Cl. LVDWIG vlcera relicta saepe noua incommoda afferre<sup>k)</sup>, quibus et ille aeger, quem descripsimus, non supersedere poterat. Remanebat enim vsque ad mortem vlcus fistulosum, etiamsi abscessus non solum sponte ortus et eleuatus, sed et apertus est, atque ars dein hoc naturae conamen iuuat ac continuauit.

*Erster Band, Copenh. u. Leipz. 1765. 8. p. 244. seqq. methodum huius operationis ita descripsit, ut incisione, sub costa spuria, iuxta muscolum quadratum et sacrolumbarem dorsi, quoniam hic ob nimiam extensionem semper renem conspici posse arbitratur, facta, ren disquiratur, illeque cultro incidatur, aut acu triquetra perfodiatur. An vero ren semper conspici queat, ac haec methodus tam facilis sit, non immodeste dubitamus, atque hanc ipsam dubitationem nostrae obseruationes hic communicatae sustentant.*

k) CHRIST. GOTTLIEB LVDWIG institut. chirurg. praelect. acad. accommod. Lips. 1764. 8. p. 411. in capite septimo de viarum vrinariarum vitiis. Eadem sentit Cl. FLVRANT in mém. de l'acad. roy. d. chirurg. Tom. II. à Paris 4. c. f. p. 233. Praeterea quoque legi merentur, quae habet b. PLATNER l. c. et III. VAN SWIETEN comm. in HERRM. BOERHAAVE aphorism. Tom. III, de nephritide p. 222 seqq.

---

OBSER.





## OBSERVATIO TERTIA

D E

## CALCVLO RENALI IN SENE.

**V**ir sexaginta annorum, satis robustus, die trigesimo primo octobris anni huius seculi sexagesimi sexti, dum aegrotum, arthritide totius corporis ita laborantem, vt omnino membrorum vsu destitutus esset, nec vlllo modo sese mouere posset, per scalas ferebat, ex nimio nisu, quo toti corpori alterius erat resistendum, audiebat stridorem ac strepitum in abdomine, praetereaue, inter moliendum atque vrgendum, lancinantem tergi dolorem sentiebat. Nihilominus tamen resistebat oneri, etiamsi vires omnes propemodum superabat, et aegrum hunc arthriticum per scalam in ipsum vsque conclaue deferebat.


Quo labore difficillimo aegre peracto, humi prosternebatur, et per aliquod temporis spatium lipothymiam patiebatur. Collectis autem quodammodo viribus, rediit ad se, et de sensu valde dolorifico in spina dorsali multum conquerebatur. Hic dolor, qui ab eo tempore subinde ingravescens vsque ad vltimum vitae diem continuauit, incipiebat circa vltimas vertebrae dorsae, et totum abdomen circumcirca ambiens progrediebatur vsque ad scrobiculum cordis, vbi, secundum aegri descriptionem, quasi figebatur, contrahendo, pungendo, lancinando, premendoque non solum molestissimus, sed plane intolerabilis.

Erat quidem non perpetuus dolor, sed iterum remittebat et recurrebat, potissimum noctu, attamen sub ipso doloris sensu nihil agere poterat aeger; eo autem sedato, sine vlla mora atque facili negotio sua tractabat, et corpus to-

D

tum





tum concutiens sine vlla molestia duriter laborabat, vt adeo Brasiliense lignum finderet.

Sex, et quod excurrit, mensibus post, variis frustra adhibitis remediis, ad me accedebat, indicans illos tergi dolores, de quibus supra retulimus. Equidem, cum caussam ipse aeger adderet, ac potissimum in nimio nisu poneret, eum iussi antrorsum et retrorsum, nec non ad latera mouere, flectere, erigere corpus. Qui omnes motus non solum sine molestia, sed etiam sine vlllo doloris sensu ab aegro perficiebantur. Confirmabat aeger, se, nisi his tergi doloribus tentatus fuisset, plane nihil habere, de quo conquereretur. Dimisso itaque aegro, propediem me eum domi conuenturum esse, promittebam, vt corpus nudum attendere, eoque melius in caussas horum dolorum inquirere possem.

Cum igitur ad aegrum accessissem, corpus denudatum cum stantis, tum cubantis totum perquisiui, nec quidquam, quod his doloribus oriundis inferuire posset, inueni. Abdomen, in quo, vti paulo ante narrauimus, aeger ipse inter moliendum audiuit strepitum, erat sanum atque molle, prementi facile et ita cedens, vt pressio aegro non molesta esset, nec vlla densitatis nimiae, aut eminentiae, aut profunditatis signa a me detegebantur. Pectus erat bene eleuatum, nec quidquam praeternaturale prae se ferebat. Spina dorsii, in qua, vti aeger ipse animaduertit, semper dolorum horum initium erat, recta et bene, vt in sano homine, conformata deprehendebatur. Itaque omne omnino corpus, externe consideratum, optima sanitatis ac validissimae constitutionis signa prodebat. Iusto enim modo nutritus erat, actionesque corporis omnes, ingerendo, digerendo, egerendo, somnum capiendo, (si per dolores licebat; noctu enim fere semper reuertebantur) laborando, animique et corporis vires monstrando, recte absoluebantur.

His





His itaque omnibus diligenter expensis, nullaque horum dolorum causa detecta, eam in solidis non solum quaerendam esse, sed et in fluidis partibus fortasse, iudicabamus. Ac imprimis quidem eorum dolorum causas ponebamus in extrauafatione vel seroforum, vel ex parte quoque sanguineorum humorum, quibus praeternaturali modo collectis, nerui variis pressionibus male afficiebantur, atque dolores exacerbabantur: superuenientibus spasticis spinae tensionibus, quales sanis post nimis vehementes nifus corporis haud raro accidunt, ac plerumque ad luxationes seu subluxationes referuntur <sup>l</sup>). Ad haec igitur duo cum imprimis in huius aegri cura suscipienda attenderemus, praemissa laxante medicina, antimonialia exhibuimus, additis remediis antispasmodicis, atque decoctis fortioribus ac lenioribus radicum resoluentium atque incidentium, nec non, vere accedente, succos recentes eiusmodi herbarum ac radicum ei suafimus. Quibus cum effectus optatus non responderet, remedia antispasmodica cum fuligine splendente interponebantur <sup>m</sup>), cui imprimis valde resoluentem, cum anodyna coniunctam, vim in extrauafatis humoribus, iisque stagnantibus, ac doloribus ad spinam, nec non in rheumatismis atque arthriticis spasticisque insultibus tribuendam esse, experientia nos docuit. Interea, praemissis laxantibus, seu clysmatibus irritantibus et lenientibus, frictionem externam quoque tentabamus. Sed et hac omni medicina sine vilo effectu adhibita, nisi quod dolor ad breue tempus interdum leuatus est, exhibui cicutam cum radice valerianae syluestris, quam diutius cum aliis re-

D 2

soluen-

l) v. aduers. medic. practic. Lips. 1769. 8. mai. c. f. Vol. I. p. 711. vbi de doloribus ad spinam eorumque diuersitate differitur.

m) v. ibid. p. 751.





soluentibus remediis simul et separatim, sed sine vlllo fructu, ei propinaui. Antispasmodica sedabant quidem dolores, non autem tollebant. E contrario, quamquam dolores per tempus his remediis leniebantur, tamen hi ipsi, cum iterum re-eruduissent, in dies augebantur, atque aeger multo peius postea sese habebat.

Quum ergo nihil effici posse videretur inter horum omnium medicamentorum vsum, denuo corpus examinavimus ac assidue perlustravimus. Quod quidem quamquam ita externe comparatum inuenimus, ac fere aequè bene nutritum, vt antea; tamen oportere causam horum dolorum in spina dorsali ipsa latere, non potuimus non credere: non solum cum haec omnia vsitata medicamenta nihil effecissent, et dolores adeo in spina exacerbassent; verum etiam cum dolores hi, constanter vno eodemque loco spinae dorsalis, nec non vno eodemque modo, vt supra eos descripsimus<sup>n)</sup>, huc vsque oborti et continuati fuissent.

Cogitabamus itaque de carie atque osteosteomate, ex abscessu ad spinam dorsi natis. Non facile profecto accidere nos minime later, vt ligamenta spinae vltra modum tendantur, et ex parte dilacerentur quoque, vasa inde comprimantur atque disrumpantur, humor postea effundatur, qui lenta eius materiae transgressae corruptione inducta, abscessum format, atque cariem, nec non osteosteomata ad spinam efficit, de quibus docte differitur in disputatione inaugurali b. HERRMANNI<sup>o)</sup>, qui nitidissimis figuris aeneis ea illustravit, ac non multum absimile exemplum aegri proposuit, in quo eandem ob causam, ac in nostro aegro, tensiones quoque  
vali-

n) v. nostr. diss. p. 27.

o) v. IO. GOTTHELF HERRMANN diss. inaug. de osteosteomate Lips. 1767. 4. c. fig. VI. §. 7—10.





validae ossis sacri et coxarum per nisum in mouendo onere ortae erant<sup>p)</sup>. Hoc autem in nostro factum fuisse aegro, elucebat partim ex causa occasionali, supra commemorata, partim ex continuatione ac subinde aucta exacerbatione dolorum ad spinam, vno eodemque loco ac modo ortorum ac progressorum<sup>q)</sup>.

Certior itaque, quantum fieri poterat, cum fuisset redditus, de natura atque indole huius morbi, quem minime sanare me posse praeuidebam, non tamen reliqui aegrum, etiamsi curationis auxiliique spe prorsus me destitutum sentirem. Summis hanc ob causam doloribus vexatum aegrum, iisque maiorem in modum debilitatum saepe adii, ac, postquam ipsa opiata aliaque antispasmodica medicamenta tandem et hos dolores quodammodo lenire desierant, sine vllō dolorum leuamine eum amisi. Proximis ante mortem mensibus, dolorum in dies facto incremento, et summa inducta debilitate, languebat aeger in lectulo ac doloribus pessime afficiebatur. Accedebat tum oedema pedum, praeterea vero nullis incommodis angebatur, nec quidquam omnino habebat, de quo conquereretur; modo dolorum exacerbatio, quae in dies subinde augebatur, posset sopiri. Quamquam vero appetitus non erat penitus prostratus, sed pro vehementia dolorum et corporis imbecillitate satis bonus, somnusque non plane deerat, eoque ipso aeger reficiebatur, non diu licet, ob dolorum perpetuitatem, continuato, tamen tandem lectulum derelinquere non

D 3

potuit.

p) v. ibid. p. 27. — Porro v. mém. de l'academ. roy. de chirurg. Tom. IV. 1768. à Paris 4. c. f. p. 84. Vbi et Cl. HERRMANNI dissertatio commemorata est. Rursus v. aduers. medic. pract. Vol. I. p. 740. Vbi ex ligamento anteriori vertebrali communi extenso orta est exostosis, quae hic describitur, atque icone illustratur.

q) v. diss. nost. p. 25.





potuit. Nam lipothymiae non solum excitabantur, sed et dolores ultra modum crescebant. Interea aluus semper aperta, potius liquida, quam sicca erat, excrementis rite tinctis. Urina, ut per omnem morbi decursum, nunc quoque deprehendebatur sana, quae mittebatur ab aegro sine vlllo incommodo atque molestia. Atque ita omnes profecto in hoc aegro absoluebantur actiones, ut, doloribus his sublatis, licet debilis, tamen sanus videri potuisset. Ita nec penitus emaciatus, nec mentis alienatione multum perturbatus, debilitate magis magisque aucta, subsultibusque tendinum praeceuntibus, hanc, multis de causis miserissimam sibi, vitam die nono anni huius seculi septuagesimi cum morte commutavit; postquam ab anno huius seculi sexagesimo sexto ad septuagesimum vsque magnopere aegrotauerat, innumeraque incommoda, partim a morbi vehementia atque diuturnitate profecta, partim e paupertate nata, patienter tulerat,

Quae omnia ad cadauer aperiendum, praesertim cum adhuc viuis hoc mihi permisisset aeger, me impulerunt. Quo denudato, nulla externa cutis mutatio in vlla corporis parte a me potuit attendi, ne in abdomine quidem, quod cum reliquo corpore ita omnino sanum deprehendi, uti antea, viuo adhuc aegro, vidi. ac supra descripsi. <sup>r)</sup> Neque enim, his licet magnis profecto cruciatibus, tamque diu toleratis, corpus erat emaciatum; sed pro aegri, tam quoad victus rationem, quam quoad morbi vehementiam, conditione mediocriter nutritum.

Integumentis tum communibus ac propriis abdominis incisis, magna ichoris, insuauem odorem spargentis, et digitos meos dolore afficientis, copia emanabat, iisque re-

clina-

r) v. diss. nostr. p. 26.





clinatis, ventriculus cum omento, versus diaphragma pressus deprehendebatur, atque intestina pallida apparebant; praeterea nec angustata, nec inflammata, sed sana. Pancreas plus solito maius, atque aequè pallidum in conspectum veniebat, in quo, leni digitorum pressione facta, fluctuatio quaedam intelligi poterat. Atque, eo dissecto, vlcus satis magnum detegebamus, purulenta, ichorosa, acri atque foetida materia scatens, ei, quam non diu ante descripsimus, non multum ab simili. Num itaque materia illa ichorosa, quae effluebat, simulac integumenta erant incisa, inde deriuari possit? quaeri potest. Videtur vero nobis, praesertim cum praeterea in abdomine nihil repererimus, quod talem materiam in se habuisse proderet. Hepar enim lividum quidem habebat colorem, ceterum tamen nullam praeternaturalem mutationem prae se ferebat. Vesicula fellea bile satis impleta et a calculis libera, nec non splen sanus spectabatur.

In sinistro autem latere paullo altius, et magis antrosum, quam ren naturali modo est collocatus, conspiciebatur magnus, quodammodo durus ac renitens tumor, tunica alba, valde extensa et crassa inclusus, bis renis magnitudinem superans, nec illius formam habens, sed oblongus latusque, qui sine dubio ventriculum cum omento versus diaphragma presserat, vti non diu ante diximus.

Cuius externa facie diligenter perlustrata, eum caute incidebamus, et satis profecto multae incisiones requirebantur, antequam in rene nos esse asseuerare possemus. Videbatur enim hic tumor verum steatoma. Per sebaceam, densam ac frigidae pinguedini similem materiam, tandem ad peluim renis, quae solummodo de totius renis anterioris superficie supererat, penetrabamus, vbi calculum satis magnum, atque inaequalem, vti ex addita figura I elucebit, detegebamus.

Tum





Tum toto huius tumoris ambitu perquisito, atque eius situ notato, eum extirpantes denuo in eodem situ, quem in corpore habuit, disquirebamus. Totus itaque hic tumor, ab anteriori superficie consideratus, ex mera, adipi simili, densa atque sebacea conflatus erat materie, quo calculus circumdabatur, quem non multum post describemus, et locum anterioris superficiei renis supplebat, plane deficientis, praeter peluim. Altera autem huius tumoris superficies, eaque posterior renis posteriorem superficiem aequabat, qua accuratius peruestigata, atque incisa, veram renis tubulosam aequae, ac corticalem substantiam vidimus. Anterior itaque renis superficies consumpta, atque in adipem erat conuersa.

In pelui huius sinistri renis, dimidia ex parte corrupti, haerebat igitur calculus satis magnus, vnciae vnus ac drachmae dimidiae pondere, qui, vti ex addita icone Fig I, patebit, peluis renum formae plane non respondebat. Figuram eius quod attinet, eminentias variae magnitudinis, processus, atque summam omnino inaequalitatem in iconis explicatione trademus; iam vero de colore et duritie nonnulla monemus. Duritie praeditus atque ita compactus erat calculus, vt duro corpore percussus, sonum ederet. Color eius erat maxime fuscus, quibusdam in locis maculis albis turbatus, superficies nec vbiq; planae, nec vbiq; asperae deprehendebantur.

Ren dexter autem nihil praeternaturale prae se tulit, ac in hoc sinistro rene, dimidia ex parte penitus destructo, plane nulla vrinae secretio fieri potuit, vnde et euenisse arbitramur, vt aeger, durante hoc, diuturno licet, morbo, ne semel quidem de molestiis viarum vrinariarum sit conquestus, nec vrina calculosi quid prodiderit, ob dextri renis integritatem.

Reli-





Reliqua abdominis porro viscera cum nihil haberent, quod attentionem nostram videretur promereri, ad thoracem aperiendum progressi sumus. Atque sterno separato ac reclinato, cor satis validum, et reliquae corporis constitutioni conueniens, inueniebamus, pulmones vero flaccidos, non tamen accretos, sed liberos, vti et pleuram. Color pulmonum vergebat partim in albescentem, partim rufescentem. Caeterum omnia hic erant bene comparata, etiam externe, vti supra narrauimus: pectus bene erat conformatum, nec vllam mutationem in scrobiculo cordis, de cuius dolore adeo aeger conquerebatur, inuenimus.

Tandem venimus ad spinam dorso, in qua, viuo aegro, vti ex superioribus patet, laesionem adesse debere iudicauimus. Ac ne vlla quidem eius vel inaequalitas vel prominentia, nec caries, nec vlcus, neque vlla laesio conspiciatur, nec ibi, vbi aeger dolorum initium senserat, et per totum morbi huius decursum percipiebat, nec per reliquas illius vertebrae.

Signa certissima renum labefactorum, a nobis supra commemorata <sup>s)</sup>, nec non alio atque alio modo corruptorum, non semper certa esse, omniaque omnino signa, renalis calculi praesentiam indicantia, deesse posse, alii iam asseruerunt, et iterum hoc vltimo potissimum exemplo confirmatur. In hoc enim aegro ne vllum quidem animaduertere potui signum, si excipiantur acerbissimi dolores in scrobiculo cordis <sup>t)</sup>, aegro nostro quoque valde molesti, ac interdum propemodum intolerabiles, qui a b. MORGAGNIO, vt signum renum vitiatorum certissimum, neque tamen

s) v. nostr. diss. p. 10.

t) v. ibid. p. 25.





tamen satis obseruatum, laudantur v). Narrat enim viri sexagenarii similem morbum, de acerbissimis doloribus in scrobiculo cordis conuesti, qui nullo modo compesci poterant, vt aeger iis etiam succumbere cogeretur. Secto postea a b. MORGAGNIO cadauere, ren sinister, tota eius substantia propemodum consumta, interne continebat inaequalem calculum. Cui solummodo adscripsit intolerabiles illos dolores in scrobiculo cordis, hancque ipsam rem ex consensu renum cum ventriculo vv), cuius pars dextra scrobiculo cordis respondet, explicauit, aliisque ventriculi affectibus, e vitio renum abortis, illustrauit. Mentionem ea propter fecit virginis, vomitiones immanes passae, quae ex ventriculi dolore, cum renum morbis iuncto, abortae fuerant, nec non aliorum exemplorum, quae a nobis ob limites huius libelli academici sunt mittenda, a se animaduersorum x). Quemadmodum itaque b. MORGAGNIUS lubenter largitur, certissima renum, vario modo corruptorum, signa, ab EODEM collecta y), interdum esse incerta, interdum plane deesse omnia: sic dolores in scrobiculo cordis renum vitiatorum vnicum signum nec vnquam obseruatum iudicat.

Praeter

v) IO. BAPTIST. MORGAGNI de sedib. et causs. morb. per anat. indag. libr. V. Venet. 1762. fol. Tom. II. Lib. III. de morbis ventris epist. anat. med. XLII. art. 13. et 14. p. 160.

vv) Id quod etiam THEOPHIL. BONNETVS iam affirmauit ac exemplis illustrauit. v. EIVSDEM sepulchret. Geneu. 1679. fol p. 788. et 818. Porro de stomachi dolore, vt signo calculi, v. IACOB. LOMMII obseruat. medicinal. libr. III. Amstelodam, 1715. 8. p. 181.

x) v. b. MORGAGNIUM l. c.

y) v. ibid. nec non aliis eiusdem tractationis locis.





Praeter hos dolores igitur in scrobiculo cordis per totum tempus huius grauis profecto ac diurni morbi, ne vllum quidem aliud signum, calculum indicans, detegere potui. Inde et factum est, vt hic morbus a nobis non inter calculosos referretur, imprimis cum, symptomatibus ab aegro recensitis, causisque, a nobis consideratis, ac vtrunque signis petitis, morbum hunc proficisci a calculosa causa, non facile intelligere potuerimus.

Sed etiamsi hunc morbum cognouissemus, nihil inde in aegri salutem atque commodum facere potuissemus. Nam hunc calculum resolueri plane non licuisset, ob eius duritiem ac indolem compactiorem, ideoque haec medendi methodus, quae nisi a primis calculosi morbi initiis instituitur, nunquam votis medici ac aegri respondere posse mihi videtur, non erat molienda: neque vero aliam habeo, quam suadeam. Nephrotomiam fortasse hic esse instituendam, viuo adhuc aegro, aliquis suafisset, si morbum ita intellexisset calculosum, vt postea in cadauere apparuit. Sed quam difficulter haec hic facta atque infeliciter peracta fuisset, partim ob renis altiorem et magis anteriorem situm, partim ob profunditatem, in qua calculus morabatur, atque tandem ob calculi ipsius magnitudinem, nec non summam inaequalitatem. Nam quis quaeso hunc tumorem, ita comparatum, vt supra eum descripsimus <sup>2)</sup> praesertim cum externe nulla durities aut eminentia spectaretur, hic exspectauisset, ac per hanc crassam pinguedinem tanta incisione vti ausus fuisset, vt hic magnus atque summe inaequalis calculus, etiamsi non adhaerebat, eximi posset. Nephrotomiam itaque non tam facile chirurgicum esse conamen, vti nonnulli putant, nec vllum eam habere locum, nisi natura ipsa adnuente,

E 2

licet

2) v. nostr. diff. p. 31,





licet et tum non leuia incommoda fequi soleant, vti supra monuimus<sup>a)</sup>, ex hoc item exemplo apparet.

Ex his itaque obseruationibus, aliisque calculos renum concernentibus, quas hic tradere libelli academici angustiae non ferunt, potissimum intelligitur, plane nulla certissima signa renum labefactorum esse, posseque renis vnus alteriusue seu vtriusque adesse vitium, sine vlla vrinae mutatione, ac nephritidis insultibus, vti, Cll. viri MORGAGNIUS, VAN SWIETEN<sup>b)</sup> et LIEVTAUD<sup>c)</sup> alique obseruarunt atque confirmarunt. Illud ipsum b. MORGAGNI certissimum ac optimum calculorum renalium signum, quod in scrobiculi cordis acerbissimis doloribus cernitur, et a nobis exemplo quodam hic confirmatur<sup>d)</sup>, vbi illud constanter ab initio morbi, durantis per quinque propemodum annos, vsque ad finem adfuit, a nobis non saepius, quam hac vice obseruatum est.

Porro elucet ex his obseruationibus, quando nephrotomia institui queat, et qualia commoda ac incommoda afferat, quae a multis suadetur, nec a paucis dissuadetur.

Mira rursus ieiuni coniunctio cum rene, ope tubuli, atque plane singularis articulatio quasi duorum calculorum, vti figura VII. ostenditur, in vnus viri cadauere reperta est.

Tandem

a) v. ibid. p. 23.

b) v. loca iam commemorata.

c) v. IOSEPH. LIEVTAUD synopsis. prax. med. in bin. part. diuis. Amstelod. 1765. 4. Pars I. p. 253. it. EIVSDEM histor. anatomic. medic. Tom. I. lib. I. Sect. IX. in laesionibus abdominis de renibus ac capsulis p. 248.

d) v. nostr. diff. p. 25. et 33.





Tandem et id declaratur, quod iam Cl. LIEVTAVD<sup>e</sup>) aliique obseruarunt, sinistrum renem frequentius dextro pati nephritidem. Quapropter et quaerit Cl. OOSTERDYK-SCHACHT<sup>f</sup>): num sinister dextro crebrius laboret? Vtrum id lienis efficaciae, an potius fitui renis sinistri tribuendum sit?

Plane non dubitamus, his nostris pariter obseruationibus edocti, ac aliorum virorum monitis hac in re instructi, primam hanc Cl. OOSTERDYK-SCHACHTII quaestionem affirmare. Alteri autem vtrum faueamus, an tertiae, breuiter videbimus.

Quod si enim lienis situm attendimus, eiusque usum ac relationem ad renem perpendimus, non videmus, quid lien sanus morbosusue ad renis, qui habet lienem incumbentem, corruptionem queat conferre, imo dextro potius reni nobis videtur lien officere posse, ob magnam et satis grauem coniunctionem lienis cum hepate. Hac enim sublata, hepatis negotium, in bile conficienda, ac in sanguine collecto diluendo ac denuo distribuendo, magnopere perturbatur, indeque reni dextro, qui sub hepate delitescit, et ab eo defenditur, varia incommoda afferri possunt.

Quemadmodum igitur lienem non facile inter causas huius rei posse referri credibile est: ita situm atque vicinas partes renis sinistri eius corruptioni frequentius, quam dextri, imprimis inferuire arbitramur. Sinistri enim situs elatior est dextro. Incumbit ei lien, pancreatis pars posterior, hisque impositus ventriculus, colon et intestinum tenue<sup>g</sup>), a quibus visceribus

E 3

exten-

e) v. loc. supra laudat.

f) v. instit. medic. practic. Edit. alt. Trai. ad Rhen. 1767. 4. p. 238.

g) v. ALB. DE HALLER element. physiolog. corp. human. Tom. VII. p. 245.





extensis ren sinister magis vrgetur ac premitur dextro, imprimis a flexura coli sinistra superiore, flatibus ac interdum et scybalis distenti. Quapropter et debiles vitaeque sedentariae dediti homines, hypochondriaci, ventriculo, a cibo distento, post prandium vel nullam vel limpidissimam urinam mittunt. Quemadmodum ergo omnes horum viscerum dolores facile cum renis doloribus, sic imprimis colici cum nephriticis saepissime confunduntur <sup>h)</sup>.

Quod itaque ren sinister plus tentatur passionibus dextro, id nobis cum FRIDERICO HOFFMANNO <sup>i)</sup> partim ideo fieri videtur, quod ille non eodem calore fouetur, quo dexter, qui sub hepate delitescit, partim quoniam flexura coli renem sinistram tangit eique adiacet, quod a flatibus ac interdum scybalis distentum renem, illiusque vasa comprimit, indeque difficilior per vasa emulgentia fit sanguinis circuitus, et ab eo pendens urinae secretio. Inde etiam euenit, vt plerumque, cibus flatulentis assumtis, insultus nephritici eo acerbius aegros vexent <sup>k)</sup>.

Quae cum ita sint, iure meritoque affirmare nos posse credimus, sinistram renem potius ac saepius pati morbos, quam dextrum, idque solummodo pendere a vicinis partibus renis sinistri, quae illi alio atque alio modo interdum creent molestias, ideoque eius corruptioni subinde inseruiant.

h) v. *ibid.* p. 246. it. BAGLIVII oper. l. c. III. SWIETEN de nephritide l. c.

i) FRID. HOFFMANN. oper. omnia in sex tomos distributa Geneu. 1740. fol. Tom. II, sect. II. cap. VI. p. 148. et 298.

k) v. *ibid.*





## EXPLICATIO ICONIS.

Fig. 1. Calculus renalis, in fenis sexaginta annorum cadavere repertus, a parte anteriore. v. p. 25.

A. Basis calculi oblonga, sursum deorsumque cuspidata.

B. Processus maior, ex basi oriundus, antrorsum excurrens, in apice magis obtusus et politus.

C. Eminentia magna, subrotunda, basi adhaerens, multis minoribus sparsim in superficie conspicuis.

Fig. 2. Idem calculus a parte posteriore.

A. Basis, sursum ac deorsum cuspidata, magis glabra.

\*) Eminentiae parvae in inferiore parte.

B. Processus, distincto margine ex basi procedens, eminentiis parvis sparsim obsitus, in extremitate politus.

C. Eminentia anterior a latere prominens.

Fig. 3. Calculus, ex ulcere renis viri quadraginta et quinque annorum eductus, a parte anteriore p. 16.

A. Processus transversus in ulcere eminens.

\*) Oblonga superficies, a calculi fragmento relicto.

B. Productio calculi ferme cylindrica, sursum directa.

C. Superficies oblongo cuspidata, polita, calculo in rene relicto quasi articulata.

Fig. 4. Idem calculus, a parte posteriore conspicuus.

A. Processus transversus.

B. Productio cylindrica, non nihil aspera.

C. Apex sursum directus.

Fig. 5. Calculus, post mortem ex pelvi renum eiusdem cadaveris extractus.

A. Eminentia sursum directa, a fragmentis nonnullis sedens.

B. Su-





B. Superficies polita, superficiei Fig. 3. C. respondens.

Fig. 6. Idem calculus, ab opposita parte.

A. Eminentia sursum directa.

B. Superficies maior, polita, qua laterali fragmento calculi respondebat.

Fig. 7. Calculi nunc descripti, sibi inuicem appositi.

A. Calculi pars, viuo adhuc aegro, eiecta.

B. Calculi pars, ex pelui renum in cadauere reperta, priori respondens.

C. Locus, vbi hi calculi sibi inuicem committuntur.






Fig. 2.




Fig. 6.





①